



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Titulus XXXVI. De religiosis domibus, ut Episcopis sint subjecti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

TITULUS XXXVI.

DE

Religiosis Domibus ut Episcopo sint subjectæ.

*Quest. 927. Quenam dicantur in præ-
sente domus religioſæ.*

R Esp. Generaliter & latè loquendo veniunt hoc nomine omnia loca pia autoritate Episcopi aut similis Prælati erecta seu constituta, sive consecrata sint sive non adeoque eo comprehenduntur Ecclesiæ, templa, capellæ etiam consecratæ, strictè verò loquendo veniunt quoque xenodochia pro peregrinis pauperibus, nosocomia pro infirmis, Orphanotrophia pro pueris & puellis expositis aut Orphanis seu destitutis parentibus aliisve remediis vivendi educandis. Item confraternitates, congregationes, montes pietatis aliaque loca ad caritatis, misericordiæ, religionis opera aliumve pium usum destinata. Arg. c. ad hæc & c. fin. h. t. & can. in qualibet caus. 23. q. 8. l. Sancimus c. de SS. Eccles. modò tamen ad hoc autoritate Episcopi instituta, cum sine hac nemo privatus locum religiosum aut sacrum constituere possit ut *Gl. in cit. c. ad hæc V. pontificis*. Unde licet absque autoritate & licentia Episcopi Hospitalia, Orphanotrophia aliave loca pia, ut ibidem caritatis & pietatis opera exercent; imò & oratoria privata in domibus ut ibidem missæ de licentia Episcopi privatim celebrentur, institui & fundari possint: domus tamen religiosæ immunitate Ecclesiastica gaudentes non sunt aut dici queunt. Felin. c. de quartade præscriptione n. 4. & 11. Sylv. v. de locis relig. n. 3. Tusch. v. hospitale Concl. 157. Fagn. in cit. c. ad hæc n. 2. Reiffenst. h. t. 3.

*Quest. 928. Ecclesiæ, hospitalia aliaque
similia loca pia qualiter præsumantur
& probentur erecta auctoritate Episcopi.*

R Esp. præsumitur & probatur locus autoritate Episcopi ad dicta onera constitutus, si ab antiquo in forma Ecclesiæ constitutus habeat campanile; & ibi per sacerdotem celebretur. Barb. ad c. 4. h. t. n. 16. remittens ad Riccium Decis. 23. n. 24. Menoch. de præsumpt. l. 4. præsumpt. 152. n. 2. Tirag. de præscrip. vers. 19. Mascard. probat. concl. 183. & 623. & alios. In dubio verò hospitale sine autoritate Episcopi erectum præsumi ait Barb. l. c. cum Ricc. in collect. decis. p. 5. collect. 1886. in princ. quod intelligendum videtur, manente dubio, dum illud ullatenus dicitur. In dubio namque ait Delb. de immunit. Eccl. c. 2. du. 2. f. 7. n. 38. an Ecclesiæ, Capella, oratorium vel hospitale autoritate publica Episcopi sit fundatum, signum optimum est, si ibi celebrentur divina omnibus indifferentè ad ea audienda admissis. Pro quo citat Sanch. de matrim. l. 9. d. 15. n. 39. in fine ubi idem dicit; si decennio in eo publicè celebretur. Item si ibi sit campana publica in eminenti posita, causâ convocandi populum ad officia divina; cum in oratorio privato non possit haberi campana, nisi ad convocandos domesticos juxta c. patentibus de privileg. vel etiam si ibi sit cæ-

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. III.

miterium, vel administretur Baptismus. Pro quo citat Abb. in cit. c. patentibus num. 1. & 2. Masc. de prob. Concl. 869. n. 3. Sanch. ubi ante Bonac. de alienat. 6. mor. Eccl. q. unic. p. 2. n. 11. & alios.

*Quest. 929. An, & cui Episcopo subjectæ
sint Ecclesiæ, monasteria, aliaque loca
pia.*

1. **R** Esp. primò: Basilica, templa, sacella, Ecclesiæ parochiales earumque filiales, monasteria regularium, xenodochia, Congregationes cateraque loca pia autoritate Episcopi instituta vel fundata subsunt jurisdictioni spirituali illius Episcopi, in cujus Diæcesi sita sint, ita ut si quem ex dictis locis constet esse, aut legitimè probetur, hoc ipso super ejus subjectione quò ad Spiritualia intentionem & præsumptiorem jure communi fundatam habeat Barb. in c. 7. h. t. n. 1. & contrarium seu privilegium Exemptionis obtentum à Papa, vel ex concessione Episcopi in ejus fundatione aut ex præscriptione quadragenaria cum titulo, vel immemoriali sine titulo, id ipsum probare debeat ita juxta c. 6. 7. 8. h. t. c. cum Episcopus de off. Ordinar. in 6. can. omnes Basilica caus. 16. q. 7. & cum communi Abb. inc. 3. h. t. n. 1. Host. ibid. n. 6. Fagn. n. 1. & 2. Pirh. h. t. n. 2. & 5. Wiestn. n. 5. Gail. l. 2. Observ. 62. n. 9. ratione petita ex ipsa diæcesium divisione, & cum illa facta jurisdictionis singulis Episcopis competentis, ad solum propriæ diæcesis territorium extensione & ad illius limites restrictione.

2. Dixitamen primò: hæc loca subjecta jurisdictioni Episcopi spirituali; nam aliud est quò ad fructus & proventus Ecclesiæ sita in diæcesi. Hi enim non hoc ipso spectant ad Episcopum, ut de iis ad libitum in usus proprios disponere possit, sed id probandum ei esset Barb. inc. 7. h. t. n. 1. citatis aliis Pirh. cit. n. 2. pro ut sumitur ex cit. c. 7. h. t.

3. Dixi secundò: aliaque loca instituta autoritate Episcopi. Nam loca pia quidem, sed sine hac autoritate constituta, adeoque non religiosa ejus jurisdictioni etiam spirituali non subsunt. ut Fagn. in c. 4. h. t. n. 51. Host. Abb. Innoc. cum communi. unde & ea visitare nequit, nisi in casibus in jure expressis, pro ut declaravit S. Congr. apud Fagn. n. 54. quin & à fundatore, quam diu ille vivit, pro libitu mutari, & in causas etiam profanas applicari posse, cum Abb. inc. 4. h. t. n. 4. tradit Fagn. ibid. n. 53. citans pro hoc declarationem 8. Congreg. et si id non possint hæredes illius utpote quibus non competit facultas mutandi defuncti piam voluntatem.

Resp. Secundò extendendo priorem responsionem: etiam Ecclesiæ vel monasterium accessoridè unitum alteri Ecclesiæ vel monasterio sito in alia diæcesi non subjicitur per illam unionem jurisdictioni Episcopi in cujus Diæcesi est Ecclesiæ vel monasterium, cui unitur, sed manet subjectum Episcopo, cui prius subjiciebatur, nimirum in cujus diæcesi Ecclesiæ vel monasterium unitum situm

Rrrr 2

est

est; hujusmodi enim unio fieri censetur salvo jure, seu sine præjudicio Episcopi, in cujus diœcesi sita sunt; quia Papa uniens vult singulis Episcopis sua jura inuolata seruari. Ita juxta *c. quia monasterium h. t. gl. ibidem v. cujus est.* Barbof. *ibid. n. 1.* Jo-and. Imol. Butr. Anan. Anchar. Hoff. & alii citatis pluribus. Item Vivian in *rationali jur. Pontif. h. t. Pirh. b. t. n. 11.* Wiestn. *n. 7.* His non obstantibus primò, quòd vi talis unionis res omnes, actiones & jura (intellige activa) istius Ecclesiæ vel monasterii uniti acquirantur & incorporantur Ecclesiæ vel monasterio, cui facta est unio, etiam si id non exprimitur: nisi illa vel hoc istarum rerum & unionum sit incapax, ut Barb. *l. c. n. 2.* citans Sanch. in *præcepta Decal. Tom. 1. l. 1. c. 30. n. 6.* Pirh. Wiestn. *LL. cit.* ita ut Prælatus monasterii vel Ecclesiæ principalis, seu cui facta incorporatio jam sit Prælatus monasterii uniti, utpote quod veluti extinctum censetur, quin & ad hunc spectet constituere vel confirmare Priorem vel Vicarium istius monasterii uniti, calu quo hujus conventui ex consuetudine illorum electio permilla ut Pirh. *l. c. cum Garc. de benef. q. 12. c. 2. n. 50.* adeoque hæc non spectent ad Episcopum Diœcesis, in qua situm monasterium cui facta unio. His inquam non obstantibus responsioni, siue quò minus monasterium (idem est de Ecclesia alia) unitum non subdatur jurisdictioni Episcopi, in cujus diœcesi situm, isque retineat jura Episcopalia in illud; cum per translationem jurium activorum illius, ipsum monasterium non transferatur è sua diœcesi. Neque obstantibus secundò, quòd Ecclesia vel monasterium uniat, cui unio facta, sit locus exemptus, cum ejus exemptio se non extendat ad unitas Ecclesias vel monasteria, non exempta; dum etiam in civilibus persona aliàs maximè exempta, si possessiones in territorio alicujus Principis fitas & illius jurisdictioni subjectas acquirat, in rebus & causis illas possessiones concernentibus, hujusmodi principi subsit. Ut Pirh. *num. 13. in fine.* Wiestn. *h. t. n. 8.* cum Laym. *inc. fin. de confirm. vili. n. 6.* Obstat verò, dum monasterium alicui Episcopo subjectum unitur monasterio ordinis exempti, & in huic unito religioso illius ordinis exempti collegialiter sub aliquo superiore immediato degant; tales enim Episcopi, in cujus diœcesi monasterium unitum situm est, jurisdictioni non subjiciuntur Wiestn. *num. 9.* cum Laym. *de Elect. pralat. c. 16. q. 208.*

Quæst. 930. Dum dubitatur in cujus diœcesi Ecclesia sit, cui subjecta, & à quo Episcopo consecranda.

1. Resp. Ad primum: subjecta erit Episcopo, qui antequam ea ædificaretur, in incolas illius loci jura Episcopalia exercuit, vel sacramenta quædam contulit, pro ut sumitur ex *c. 1. h. t. Gl. ibid. v. notas.* Pirh. *h. t. n. 9.* Sic si constat vel probetur, Episcopum in certo loco exercere jurisdictionem episcopalem conferendo Baptisum & Confirmationem, acquisivit possessionem omnium jurium Episcopalia in eodem loco. Pirh. *h. t. n. 10.* siquidem exercendo unum aliquem factum sub generali ratione officii ordinarii, quod gerit, acquirit possessionem universalem jurisdictionis, seu aliorum similibus ad idem officium pertinentium, nisi alius sit in possessione quò ad alios articulos vel aliorum similibus jurium. Pirh. *l. c. Arg. c. 15. de præscrip. & citatis Innoc. in c. 1. h. t. Jo-and. ibid. num. 4.*

Abb. num. 3. secus tamen est, si Episcopus exercuit unum actum jurisdictionis in hospitali; eò quòd plura hospitalia loca religiosa non sint, sed subjecta jurisdictioni seculari, ac proinde Episcopus in tali loco, non plus præscripserit, quam probetur eum possedisse. Locus verò sacer, quia necessario subesse debet Episcopo, aut alicui prælato Ecclesiastico, præsumptio sit pro eo, qui ibi exercuit aliqua jura Episcopalia, etiam quò ad alia, nisi probetur alium quò ad illa fuisse in possessione. Pirh. *l. c. cum Abb. in cit. c. 1. n. 5.*

2. Resp. Ad secundum: Ecclesia sita in confinio duarum Diœcesium consecranda ab Episcopo, ad quem incolæ loci, antiquam ædificaretur aut fundaretur Ecclesia, concurrerant pro suscipiendo Baptismo & Sacramento Confirmationis; cum Diœceses non tam definitur terminis locorum, quam collatione dictorum duorum Sacramentorum. Pirh. *h. t. n. 9.* Barbof. in *c. 1. h. t. n. 1.* citatis pluribus aliis juxta quò decernitur eodem *c. 1.*

Quæst. 931. Quid Episcopus possit circa locorum religiosorum visitationem, exigendasque rationes ab eorum administratoribus:

1. Resp. Ad primum: præterquam quò habeat in locis religiosis sibi subjectis & non exemptis jurisdictionem contentiosam & exactionem jurium Episcopalia, de quibus dictum est alibi: potest Episcopus eo loca visitare ac omnia, quæ ad Dei cultum aut animarum salutem seu pauperes sustentandos instituta sunt, cognoscere autoritate Episcopali seu ordinaria, etsi eorum cura & administratio ad laicos pertineant. etsi exempta sint, autoritate Apostolica, item quot annis ab eorum administratoribus, siue hi sint Ecclesiastici, siue laici, exigere rationes, ita etiam, ut si ex consuetudine, privilegio vel constitutione aliqua loci aliis ad id deputatis ratio reddenda esset, cum iis adhibendus ordinarius. his quo ad utrumque non obstante quacunque consuetudine, etiam immemoriali, privilegio aut statuto, pro ut expressis verbis statuit Trid. *sess. 22. de reformat. c. 8. juncto c. 9.* unde etiam, dum Ecclesia esset nullius diœcesis, ejusque Prælatus haberet jurisdictionem quasi Episcopalem, adhuc visitanda ab Episcopo, cujus Cathedralis est illi Ecclesiæ vicinior Delb. de immun. *Eccles. c. 12. du. 1. f. 2. n. 18.* cum Barb. ad *concil. Trid. sess. 7. c. 8. de reformat. n. 3.* Excipiuntur nihilominus ab illa visitatione Episcopali & exactione rationum hospitalia aliaque loca religiosa, etsi erecta etiam de licentia Episcopi, quæ sunt sub Regum immediata protectione, ut ea sine illorum licentia visitari ab Episcopo nequeant, ut statuit Trid. *sess. 22. c. 8.* Item ea, in quarum fundatione cautum, et non subsint Episcopo. Item Hospitalia aliaque loca religiosa ordinum militarium aliorumque religiosorum, Fagn. ad *c. 4. h. t. n. 47.* & de Ecclesiis regularium Delb. *l. c. n. 19.* cum Barbof. *l. c. n. 15.* referente sic declaratum à S. Cong. Pirh. *h. t. n. 24.* Reiffenst. *n. 6.* prout hæc habentur vel manifeste colliguntur ex *Clem. 2. §. permissa. h. t.* & Trid. *l. c. c. 9.* dum ibidem loquitur solum de secularibus, & non de regularibus, ut declaravit S. cong. apud eundem Fagn. *l. c. n. 48.* & sic in specie, in virtute etiam constitutionis Gregor. XV. quæ incipit: *infernabilis.* Ab
Epi

Episcopo non posse etiam visitari altaria Ecclesiarum regularium, quibus non incumbit cura animarum secularium, nec locos, ubi asservatur sanctissimum Sacramentum, aut ubi Confessiones secularium audiuntur, tradit apud Delb. n. 20. Barbof. l. c. sic quoque declaratum à S. Cong. dicens.

2. Resp. ad secundum: et si visitari non possint ab Episcopo, fundatore superstiti, loca pia ejus auctoritate non erecta, hoc tamen mortuo ea visitare potest ac videre, an fabricæ conserventur, bona deputata debite administrantur. Abb. in c. 3. h. t. n. 3. Fagn. in c. 4. h. t. n. 55. & 56. Pirh. h. t. n. 23. & 26. Reiffenst. n. 8. cum communi. Cum ad Episcopum spectat curare, ut hujusmodi pia defunctorum voluntates executioni mandentur juxta c. 17. de testam. Item potest Episcopus ab administratoribus locorum illorum rationes exigere, non quidem jure communi, sed ex decreto Conc. Trid. cit. c. 9. cum Decretum illud non restringatur ad causas à jure permisso, ut ad illos restringitur ab illo Decretum visitandi in cit. c. 8. sed loquatur generaliter & indistincte adeoque comprehendit casus à jure non permisso, excepto unico casu, dum nimirum in fundatione cautum est, ut Episcopus nequeat exigere rationes administrationis. Fagn. Pirh. LL. cit. juxta declarationem S. Cong. apud Gallemarr ad cit. c. 8. Trid. n. 2.

Quæst. 932. Quid possit Episcopus in locis exemptis quoad exercenda jurisdictionalia?

Resp. non potest in Monasteriis regularium sedere pro tribunali nec exercere actum aliquem jurisdictionis præter illos, qui expresse & in specie ei conceduntur, eò quod licet locus exemptus sit de diocesi & territorio Episcopi, locus tamen exemptus & locus extra territorium æquiparantur quoad jurisdictionem. Siquidem locus ille est quidem de territorio Episcopi quantum ad situm non autem quantum ad jurisdictionem Delb. c. 12. du. 1. f. 2. n. 13. Vide plura de hoc supra ubi de jurisdictione Episcopi.

Quæst. 933. Quid possit Episcopus circa immutationem status locorum Religiosorum?

Resp. locus proprie facit seu Religiosus (qualis jure canonico non est in quem corpus defuncti illatum remanet sepultum, nisi ad similes tumulationes deinceps auctoritate Episcopi deputatus (in usus alios, quam ad quos ex fundatione deputatus, præsertim profanos eadem auctoritate converti nequit, ut dictum supra ad lit. de testam. Unde Episcopalia (quæ & ipsa inter loca sacra numerantur ut Pirh. h. t. n. 22.) monasteria Ecclesiarum in habitacula secularium seu domos privatas ab eo converti non possunt. Neque etiam utensilia Ecclesiarum consecrata v. g. mappæ altaris ad usus profanos applicari possunt per c. 38. 39. 40. dist. 1. de consecrat. Quod si tamen hospitalia aliaque loca pia & religiosa ad certam peregrinorum, infirmorum aut aliarum personarum genus suscipiendum instituta & in loco, ubi sunt dicta hospitalia similes personæ, aut non nisi per paucæ reperiuntur, fructus illorum

ut verbotenus mandat Trid. sess. 25. de reform. c. 8. in alium pium usum, qui eorum institutioi proximior est, ac pro loco ac tempore utilior convertendi, prout Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum peritiores, ab ipso deligendis magis expedire videbitur, Illud speciale circa monasteria jure statutum est, ut si aliquando ex quacunque causa deficiant aut religiosi inde discedere debeant sine spe post liminium redeundi, aut disciplina regularis in iis non vigeat, Episcopus nequeat illorum redditus suæ mensuræ incorporare, neque monasterium secularizare, seu in eo Clericos alios seculares ponere, aut in alias pias causas convertere. Sed debet illud aliis ejusdem Ordinis, & his deficientibus, alterius Religiosis inhabitandum tradere, & his quoque deficientibus, Clericis secularibus, qui quoad fieri potest, fundationi satisfaciant, illud concedere ita cum Hostiensis Abb. Jo-and. Fagn. in c. 5. h. t. Engelf. h. t. in fine. Reiffenst. h. t. n. 10. per textum & Gl. in idem c. & c. possessiones de reb. Eccl. non alien. aliud est de hospitalibus citra auctoritatem Episcopi ædificatis aliisque locis privata alicujus pietate deputatis ad peregrinos pauperes, infirmos suscipiendos. Hæc enim, tametsi, quam diu ædificans vel deputans illa ad hos pios usus stabiliter ea non fundavit, aut per donationem inter viros se ad id non obstrinxit, possint ab eo rursus in usus proprios aut alienos profanos converti, ut cum Abb. in cit. c. 4. h. t. n. 4. Pirh. n. 22. postquam autem ipse in hunc usum ea fundavit, aut per donationem mortis causâ in usus pauperum reliquit non revocata ante mortem hac sua donatione, nec ipse, dum vivit, ea amplius in suos usus, nec hæres ejus in usus profanos convertere potest; sed tenetur defuncti voluntatem exequi, & ad hoc ab Episcopo compelli potest; quia et si hoc ipso non sint loca sacra seu religiosa, sunt tamen pia, & sic subiecta jurisdictioni Ecclesiarum. Ita Barb. in c. 4. h. t. n. 2. Garc. de benef. p. 5. c. 1. n. 603. Pirh. l. c.

Quæst. 934. Ecclesia sita in Diocesi Episcopi an & qualiter teneatur ei præstare jura Episcopalia?

Resp. Ecclesia sita in diocesi Episcopi tenetur eidem præstare omnia jura Episcopi (quæ qualia sint, dictum est alibi) etiam si ea jure incorporationis aut patronatus possideatur à quibuscunque religiosis, nisi legitime fuerit à juribus illis exempta, ut constat ex c. 6. h. t. & ibid. Gl. & Abb. ibidem n. 1. Pirh. h. t. n. 6. Potest tamen Episcopus tali Ecclesiarum privilegium exemptionis à talibus juribus concedere, saltem si Papa ex certa scientia id confirmaverit. Gl. in cit. c. 6 V. à quocunque & V. confirmavit. Abb. ibidem n. 10. Pirh. n. 7. concedendo verò hanc exemptionem, potest reservare sibi pensionem aliquam seu censum annuum sine vitio simoniæ; cum non accipiat in compensationem concessæ exemptionis aut spiritualis jurisdictionis, sed in signum præteritæ subjectionis & beneficii accepti juxta cit. c. 6. & Gl. ibidem V. recompensationem & Abb. n. 17. modò tamen census reservatus non fuerit magna & notabilis quantitatis, cum tunc censetur potius acceptus in recompensationem juri-um Episcopali-um spiritualium, adeoque foret contractus simoniacus, ut Abb. & Pirh. LL. cit. Arg. c. 18. de simon.